

iniquitates. Illa autē remissio semper accipitur fide. Item, Imputatio iusticiæ Euangelij est ex promissione, igitur semper accipitur fide, semper statuendum est, quod fide propter Christum iusti reputemur. Si renati postea sentire deberent se acceptos fore propter impletionem legis, quando esset conscientia certa, se placere Deo, cum nunc legi satisfaciamus. Ideo semper ad promissionem recurrendum est, hac sustentanda est infirmitas nostra, & statuendum nos propter Christum iustos reputari, qui sedet ad dextram Patris, & perpetuo interpellat pro nobis. Hunc Pontificem contumelia afficit, si quis sentit se iam iustum & acceptum esse, propter propriam impletionem legis, non propter illius promissionem. Nec intelligi potest, quomodo fingi queat homo iustus esse coram Deo excluso propiciatore & mediatore Christo.

Item quid opus est longa disputatiōe? Tota Scriptura, tota Ecclesia clamat legi non satisfieri. Non igitur placet illa inchoata legis impletio, propter seipsam, sed propter fidem in Christum. Alioqui lex semper accusat nos, quis enim satis diligit, aut satis timet Deum, quis satis patienter sustinet afflictiones a Deo impositas, quis non sæpe dubitat? Vtrum Dei consilio an casu regantur res humanæ, quis non sæpe dubitat? Vtrum a Deo exaudiat, quis non sæpe stomachatur, quod impij fortuna meliore utuntur, quam pii, quod pii ab impijs opprimuntur, quis satisfacit vocationi suæ, quis diligit proximum sicut seipsum, quis non irritatur a concupiscentia? Ideo Paulus inquit, Non quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum. Item, *Mente seruo legi Dei. Carne autem seruo legi*

legi